

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

EXEMPLA MALA PROGENITORUM CHRISTI CA-  
VENDA.

I. Magnates caveant sibi a Roboam. — II. Magistratus et consiliarii caveant sibi a Juda. — III. Parentes ab Achaz. — IV. Liberi a Joram. — V. Senes a Salomone. — VI. Juvenes ab Amon. — VII. Litterati ab Abia. — VIII. Illitterati ab Jechonia. — IX. Conjugati a Bethsabæa. — X. Viduæ et virgines a Thamar. — XI. Egroti ab Asa.

## THEMA.

*Liber generationis Jesu Christi. Matth. I.*

Incipimus hoc tempore egredi in hortos et fructus arborum legere. Scriptura sancta, ut ostendit S. Bernardus, serm. XXIII. in Cant. hortus quidam est, variis arboribus consitus, variis constans personis; quarum exempla, velut poma, vel decerpimus et gustamus, si sint bona; vel abjicimus, si mala. In hodierno evangelio videmus magnam arborem, in varios generationum ramos diffusam, variis pomis onustam; Christi, inquam, genealogiam: quæ si in charta depingatur, arborem representat, cujus rami sunt quadraginta duo generationes, poma sunt progenitores Christi. Ea vero nequaquam omnia bona sunt: quædam enim ex illis, etsi pauciora vel omnino putrida sunt, hoc est, reprobata et damnata, vel saltem vermiculosa et nævis deformata; e quibus vermes seu nævi excindendi et abjiciendi sunt. Quia igitur defectuosa poma prius ab arbore decidunt, quam sana et integra; prius illa non tam colligemus, quam spectabimus, ut ab illis nobis caveamus.

I. Viri principes et magnates caveant sibi a Roboamo, putrido valde pomo. Hic enim succedens patri Salomoni in regnum, posthabito seniorum consilio bono, suadentium ne gravaret subditos, secutus est potius consilium adolescentum, qui nutriti fuerant cum eo, et aggravavit jugum subditorum; unde factum, ut decem tribus ab eo recederent, et alium regem sibi constituerent, II. Reg. XII. Bene dictus *Roboam*, hoc est, dilatans populum; quia stultum consilium secutus, dispersit gregem, quem congregare debebat. Sic deceptus fuit Clotarius Franciæ rex a

pessimis consiliariis Farulfo et Medegisillo, ut S. Lupum Senonensem episcopum nulla justa causa mitteret in exilium. Postea, revocato episcopo, videns eum in exilio habitum, macie et squalore confectum, suum errorem planxit, et delatoribus dira imprecatus est: Medegisilus in templo a populo indignante occisus est, in vita S. Lupi, I. septembr. Rursum, cum piæ conjugis Radegundi permisisset ut sibi monasterium Pictavis construeret in eoque Deo serviret, persuasus a malevolis consiliariis, ut eam revocaret, flexus tamen a S. Germano ut consilium mutaret, veniam a conjugis petit et conatus suos malis consiliariis imputavit; quos ultio divina secuta, ut quemadmodum Arius intestina in cloacam effunderent, in vita S. Radegundis, 13. august. Unde monet Ecclesiasticus, cap. VIII. *Cum fatuis consilium non habeas*. Si auriga dominum a via abducat, vel per imprudentiam currum evertat, mox irascitur herus et aurigam mille execrationibus onerat; quid si in studio aberrasset, aut currum nequiter evertisset? At hoc faciunt mali consiliarii suis principibus.

II. Magistratus et consiliarii caveant sibi a Juda, pomo vermiculoso. Hic enim in judicio ferendo contra Thamarum adulteram, ut combureretur, dupliciter peccavit. Primo, quando audivit Thamarum filio suo desponsam, alteri se substravisse, statim præcipit sententiam, et jubet eam produci ad comburendum, velut adulteram, nec expectat donec prolem pariat, cum qua tribus mensibus, adeoque jam animata, ibat, gravis; quod est contra jus: deinde, quia adulteram jubet comburi, cum ipse fornicarius eam (haud licet sibi notam) prius imprægnasset, Gen. XXXVIII. In primum errorem incidit etiam Theodosius senior imp. præcipitando sententiam in Thessalonicenses, ob interfectum judicem suum puniens innocentes una cum nocentibus; qui postea multis lacrymis errorem deflevit, et pœnitentiam publicam egit, edicto quoque jussit reorum condemnationem semper in trigesimum diem differri. Fertur etiam deinceps, si forsitan ira percitus esset, prius alphabetum percurrisset, quam aliquid statueret, Platina teste et Nicephoro, I. XII. c. XLI. In secundum incidit Saul, qui cum edicto regio abstulisset magos et arifolios de terra, ipsemet, immutato habitu, (eruber-

cens nimirum id agere, quod aliis prohibuisset) consulit Pythonissam, I. Reg. XXVIII. Quod quam turpe sit, indicavit ipsemet Saul, dum non nisi personato habitu, ut dixi, consuluit strigem. Nihilominus confusus fuit Judas, postquam convictus reum agnovit dicens: *Justior me est, Thamar scilicet*; sicque ex pomo vermem excidit. Quoties verbera infligunt domini servis ebris, cum ipsi tamen inebriantur assiduo. Quam hoc fœdum!

III. Parentes caveant sibi ab Achaz, putrido pomo ac reprobo, qui, præter alia scelera: *Insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem, secundum idola gentium*. IV. Reg. XV. ubi vocula *insuper*, notat gravissimum hoc fuisse ejus scelus. Idem alios filios suos lutrasse per ignem dicitur, II. Paral. XXVIII. Quare secundum Lyran. unum omnino idolo immolavit, ab eo comburendum; cæteros saltem per ignem duxit. Hoc imitantur parentes illi, qui liberos suos instituunt ad superbiam et vanitatem, ducunt ad choreas, ludos, computationes aliasque peccandi occasiones, violentiæ assuefaciunt; illud vero qui etiam perversa eos docent et in peccata inducunt. Quid enim est hoc aliud, nisi liberos in brachia igniti illius idoli impellere? Tales certe Levit. XX. lapidari jussit Deus: *Et ego ponam faciem meam contra illum, succidamque illum de medio populi*, inquit. Quare Achaz ille gravissimis pœnis a Deo plexus, et quasi lapidatus est, datusque in manus regis Syriæ, qui percussit eum; necnon in manus Phacee regis Israel; qui uno die de exercitu ejus cecidit 120. millia, I. Paral. XXVIII. Idumæis item et Philisthæis. Quis enim velut rex a populo non est lapidatus, ideo tot hostes ipsi immisi sunt, qui eum suis armis quasi lapidarent.

IV. Liberi caveant sibi a Joram, putri ac fœtido pomo. Hic enim optimi patris Josaphati, et optimi avi Asæ filius, ab utroque degener secutus est impii Achab regis Israel, cujus filiam, impiam Athaliam, in uxorem duxit, vestigia. Cumque velut primogenitus a patre constitutus esset in regno successor, ut esset pater sex fratrum suorum, eos immeritos et meliores se necavit, ne cogeretur sustentare, vel ne ipsi aliquando adversarentur, IV. Regum VIII. Quamobrem a Deo gravissime punitus est, irruptione Philisthæorum et Arabum, qui omnem Judæ terram diripuunt, uxores quoque et liberos ejus, præter minimum natum, abduxerunt; insuper et alvi dolore correptus, uti per litteras ab Elia jam subtracto, et ex paradiso missas ei prædictum fuit: *Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui et in viis Asa regis Juda* (avi scilicet), sed

*incessisti per iter regum Israel, et fornicari fecisti Judam et habitatores Jerusalem; insuper et fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidisti: ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo et filiis et uxoribus tuis universaque substantia tua. Tu autem ægotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies*, II. Paral. XXI. Longa ergo tabe consumptus, egressit viscera sua, et sine honore, imo cum insultatione populi, ut addit Josephus, sepultus est extra sepulcrum patrum suorum, quibus dignus non erat, quia dissimillimus: filium ejus, præter unum, ab Arabibus interfecti jure quidem; nam et bestia oderunt degeneres proles, aquila abjicit, corvus albicantes pullos deserit. Scipionis Africani clarissimi filio ignavo et degeneri senatus Rom. annulum, cui paterna effigies insculpta erat, adimi jussit, Valerius Maximus, lib. III. cap. V.

V. Senes caveant sibi a Salomone, si non prosus putrido et reprobato, certe admodum suspecto et vermiculoso. Hic enim: *Cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos*, III. Reg. XI. In senectute sapientia alias crescit, libidinis vis decrescit: nihilominus tamen Salomon in senio perversus est. Quam hoc turpe fuit, post emensum maris iter in portu naufragium facere, ubi nec syrtis nec tempestas! « Quomodo non est absurdum, ait S. Chrysostomus, homilia I. in ep. ad Hebr. et supra veniam, quod fit ut senex in taberna sedeat, senex ad circum festinet, senex ad theatrum ascendat, velut pueri currentes cum plebe? Vere confusio est et irrisio, ut canitie quidem ornetur extrinsecus, intrinsecus autem intellectum habeat puerilem! » Tamquam rem portentosam et abominabilem monstrat Deus Ezechielis, capite VIII. seniores: *Stantes ante imagines reptilium et animalium, faciem convertentes ad ortum solis, et ramum applicantes naribus*. Quid enim portentosius, quam seniores adorare reptilium imagines, spectare non occasum mortis, sed orientem juventutis florem applicare naribus? De Salomone sic dementato ait Ecclesiasticus, capite XLVII. *Inclinasti femora tua mulieribus: dedisti maculam in gloria tua*. Quanta macula in cana barba libidinosa petulantia!

VI. Juvenes caveant sibi ab Amon, putride valde pomo. Hic enim viginti duo annorum juvenis ad regnum evehctus, patrem Manassen, maximis sceleribus contaminatum, statim imitatus est, imo superavit, II. Par. XXXIII. Causam adfect Glycas, p. II. annalium, eo quod vidisset patrem suum in senecta pœnitentiam egisse; unde cogitavit juventutem suam similiter libertati vitiorum tradere, senectutem Deo consecrare: « Secum ita

loquens: Pater meus a puero multa scelerata fecit, ac in senecta penitentiam egit. Quamobrem et ipse hac in ætate pro animi libidine megeram, deinceps ad Dominum me convertam. Hac igitur de causa Deus penitentiam illius non expectavit, quando paternis calamitatibus nullo modo factus est melior. » Sic Glycas. Idem refert auctor operis imperf. in Math. c. I. Quare ineunte secundo anno regni sui, nondum viginti quatuor annorum, juvenis a servis domesticis occisus est, IV. Reg. XXI. Non acceptat Deus tam iniquum pactum, tam malam solutionem, qua pro totius vitæ debito partem ei obrudimus. In revelatione S. Birgittæ, l. VIII. c. XLVIII. res hæc sic declaratur. « Debit quis alteri viginti libras auri, noluit solvere; quid egit? Instructus ab alto, accepit unam libram auri, eaque viginti libras cupri inauravit. Has creditori dedit, sicque decem novem libras auri sibi retinuit. Sic fac et tu (ait adolescens) decem et novem horas temporis dispone ad delectationem et voluptatem tuam, et una tantum hora sufficit tibi ad compungendum. Sic opera peccati, quæ designantur in cupro, deaurata contritione delebuntur, et omnia opera tua fulgebunt ut aurum. » Verum non decipies creditorem tuum, Deum, mi adolescens.

VII. Litterati et studiosi fugiant Abiam, filium Roboami, putridum pomum. Non fuit is primogenitus, sed sapientior reliquis fratribus, ideo rex constitutus, II. Paral. XI. Habuit etiam perdoctam et gravissimam orationem ad exercitum suum, qua eum excitavit ad summa omnia a Deo speranda, obtinuitque insignem victoriam. Verum probitatem sapientiæ non conjunxit, sed ambulavit in omnibus peccatis patris sui, ideoque non integro triennio regnavit, percussus a Deo, ut indicatur II. Par. XIII. et explicat chronologia Hebræorum, c. XVI. eo quod, victo Jeroboamo et capto Bethel, vitulos ejus aureos reprobarit quidem, sed non sustulerit ac confregerit. Ergo non sat est habere sapientiam, addenda ei virtus est: neque satis est vitia reprehendere, oportet etiam tollere, cum in tua potestate est. Sane Ezechieli præcepit Deus, ut librum, quem manu gestabat, etiam comederet, Ezech. III. *Comede volumen istud.* Sed cur librum? Pane enim, non libris nutriuntur homines. Nimirum quod comeditur in hominis substantiam convertitur: quare ut scientiam ad utilitatem nostram convertendam esse intelligamus, præcepit Deus edi librum. Qui multa quidem bona novit, sed non facit, librum manu gestat, sed absque fructu; quia non comedit, nec sibi sed aliis sapit. Viderint ergo parentes, qui in litteris quidem cupiunt proficere suos filios, de pietate vero eorum nihil solliciti sunt.

VIII. Rudes et illitterati caveant sibi a Jehonia, qui et Joachim appellatur, putrido etiam pomo. Hic enim cum impie vixisset, et audisset coram se legi librum Jeremiæ, divinas continentem comminationes, iratus, sacrum volumen cultello conscidit, et in ignem misit ac combussit Jerem. XXXVI. Quamobrem misit Deus Nabuchodonosorem in Judæam, qui captum regem occidit, et ante muros Jerusalem insepultum canibus ferisque devorandum abijci jussit, juxta prophetiam Jerem. XXII. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.* Nimirum, quia vixit sicut asinus, nec audire voluit Dei verbum, ideo sepultus est ut asinus. Simile exemplum legimus in vita Sancti Bernardini Sennensis, apud Sur. 20 maii, cap. L. de lascivo adolescente, qui, concionante S. Bernardino, stabat ex parte feminarum, animo libidinem suam explens, splendido vestitu. Sensit id vir sanctus, et monuit ut assideret inter mares. At is, contempto monitore, mansit prope feminas. Itaque palam ad eum Bernardinus: *Ecce ego tibi dico, adolescens, qui isthic stas impudenter, auratis indutus vestibus, non parum vereri me, mala te morte periturum.* Idque sic accidit, quando postea ob sua flagitia et maleficia tanquam latro apud Anconam capite plexus est.

IX. Conjugati caveant sibi a Bethsabæa, pomo vermiculoso. Hæc enim dum non satis caute se lavat loco patulo, nec undique circumspicit, visa est a Davide, in otio degente, e solarario, evocataque in ejus domum, nimis facile secuta est, et consensit in adulterium, II. Reg. XI. Duplex in hoc pomo vermis latet, sedulo cavendus. Honestorum igitur virorum est non aspicere alienas, et apes imitari, quæ non patiuntur assessores aut inspectores operum suorum, quin protinus feriant ad se propius accedentes. Et cum quidam alveare vitreum eis fecisset, ut per id laborantes aspiceret, illarum primus labor fuit, alveare cera intus obducere. Deinde, alienas domos non nisi cum testibus frequentent. Hinc bene prophetissa illa sapiens *Deborahæ* nomen, hoc est, *apis* accepit, Judic. IV. ad instructionem aliarum matronarum, ut et ipsæ in pudicitia imitentur.

X. Viduæ ac virgines caveant sibi a Thamar vidua, quæ et ipsa vermem aluit, dum meretricio habitu se ornavit et in bivio sedit, ad inescandum Judam, quo facto parum abfuit, quin sibi exitium et rogam comparasset, uti supra visum. Caveant ornatum meretricium et leviculum; hæc enim, quasi suspensa hedera, produnt se vanales, et exponunt insidiatoribus castitatis, qui despoliant miseram, et nudatas turpiterque confusas repellunt: sicque contingit eis, quod Ezechia

## CONCIO II.

## EXEMPLA BONA PROGENITORUM CHRISTI IMITANDA.

I. Virginibus Deipara Virgo. — II. Conjugatis Rahab. — III. Opificibus S. Joseph. — IV. Rusticis Booz. — V. Servis Jacob. — VI. Magistratibus Naassor. — VII. Subditis Aminadab. — VIII. Senibus Abraham. — IX. Juvenibus David. — X. Parentibus Josias. — XI. Filiis Isaac. — XII. Fratribus Judas. — XIII. Soldatibus Josaphat. — XIV. Lapsis Manasses. — XV. Afflictis Jesus.

## THEMA.

*Abraham genuit Isaac, etc.* Matth. XI.

Cant. V. invitat sponsa dilectum suum in hortum suum his verbis: *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum.* Diximus alias ex Sancto Bernardo, serm. XXIII. in Cant. S. Scripturam esse hortum quemdam variis arboribus consitum. In horto illo elucet magna una inter cæteras arbor, quæ est Beatæ Virginis genealogia, variis instructa pomis, partim malis et putridis, partim bonis et sanis. Mala in priore sermone jam abjecimus: bona nunc legenda sunt. Ad hæc invitat nos Deipara. Veniant ergo in hortum istum quotquot eam diligunt, et de pomis istis comedant.

I. Pomum primum de virginibus, Virginem Deiparam, pomum longe speciosissimum et sapientissimum. Virgo Hebræis appellatur *alma*, id est, *abscondita*, ab *alam*, quod est *abscondere*. Et sic appellatur Beata Virgo, Isa. VII. cum de ea dicitur: *Ecce Virgo concipiet*, Hebr. *alma*, quæ vox Latinis *sanctam* significat; et bene, quia virgines, si absconditæ sint, jure sanctæ haberi possunt.

Fuisse Beatam Virginem absconditam mundo colligit primo, ex angelica salutatione S. Ambrosius et alii, quod angelus ad eam ingressus dicitur: *Sola in penetralibus*, inquit, *quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret.*

Secundo, quia de ejus vita tam pauca scribere evangelistæ; et cur, nisi quia vitam ducebat fere semper absconditam, nec nisi urgente necessitate in publicum prodibat? Cur nihil scribitur de ejus puellari ætate? Quia in sacro gynæceo juxta templum fuit, quasi in monasterio abscondita. Cur nihil ab anno Christi duodecimo usque ad trigesimum? Quia fuit abscondita. Cur nihil ab ejus ascensione usque ad obitum? Quia fuit abscondita. Et unde scimus eam toto illo tempore sanctissime vixisse? Quia fuit abscondita. Affige in publico speciosam imaginem vel mappam geographicam, et post annum aspice: tunc videbis deformatam, et sibi prorsus dissimilem. Alius eam digito perforavit, alius sædavit, alius lacera-

regi, qui cum legatis regis Babyloniorum ostendisset thesauros suos, aromata, aurum, argentum, pigmenta varia, unguenta, et quidquid in thesauris habebat, illecti Babylonii venerunt cum potentia et omnia illa abstulerunt, in pœnam vanæ illius ostentationis, ut prædixit ei Isaias, IV. Reg. XX.

XI. Denique, ægroti caveant sibi ab Asa rege, qui cum dolore pedum, podagra scilicet, gravissime laboraret, non quæsit in infirmitate sua Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est; unde et ægitudine illa extinctus est, II. Paral. VI. Implorari sane medicorum opera potest, magis tamen a Deo velut potiore causa expectari medela debet. Hanc ob causam: « Libros Salomonis, qui scripti erant de proverbiiis et odis, in quibus tractabatur de natura plantarum et omni genere animalium, et de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias: propterea quod morborum medelas inde acciperet populus, et nihili faceret a Deo petere curationes, » inquit Eusebius citatus ab Anastasio Niceno episcopo, quæst. XXXIX. in Scripturam. Grave nimirum damnum putabat religiosus rex, si homines spem salutis in creaturis potius, quam in creatore ponerent.

Sed quid si aliquis de his noxiis pomis jam quid comedisset? Recurrat pro remedio ad aliam hujus horti arborem, Mariam scilicet, quæ tulit nobis salutiferum illud pomum Jesum. In Malabarica provincia arbor est, cicara dicta, quæ fert unicum pomum singulis annis, sed tam magnum, ut oneret quemvis robustum hominem, continens intra se trecentum fructus, teste Nicol. de comitibus. Talis est Maria, quæ unicum pomum, Christum tulit, qui quemvis robustum hominem non onerat, sed ornat, satiat et sanat, sufficitque ad medelam et saturitatem omnibus mortalibus, continens intra se omne bonum.

et; omnium denique manus attriverunt, ut vix amplius nosci queat. Include eandem per totidem annos serinio mundo, et post annos reperies eam recentem ac splendidam, atque erat initio. Par ratio cum virginibus.

II. Conjugatis damus Rahab meretricem, hoc est, cauponariam, ut vertit Pagninus et volunt aliqui, ductam a Salomon. Hæc admodum benefica fuit erga legatos Hebræorum hospitio receptos, eosque ab insidiatoribus abscondit ac servavit, ut habetur Jos. II. Hanc sequuntur patres et matresfamilias: sint benigni et misericordes erga advenas et peregrinos, maxime egenos, præbeant hospitium, defendant a frigore, nuditate et fame. Sic servabunt domos suas incolumes, quemadmodum et Rahab per opus illud pium impetravit, ut vastata licet tota civitate Jericho, sola ejus domus ab omni infestatione immunis esset.

III. Opifices accipiant S. Josephum. Hic arte lignarius faber, cæli ac terræ Dominum habuit pro filio, nec tamen ab eo unquam petiit divitias, ut verbi gratia per miraculum pararet aurum, vestes, cibos; sed maluit querere victum sibi, conjugi et filio, labore manuum suarum; contentissimus nimirum sua paupertate. Sic ergo et opifices non insidiantur multis opibus per usuras aut mercimonia, neque per census annuos ex pecuniis mutuo datis, quo nimirum absque labore vacent quieti suæ, hoc enim eis non expedit; sed pergant opere manuum querere victum suum: hoc enim et tutissimum pro salute eorum. Certe illuminatissimus cardinalis Bellarminus, interrogatus quod hominum genus crederet magis esse idoneum ad salutem consequendam, respondit statim: « Nisi me fallit animus, opifices ii sunt, quorum vita labor est, qui diuturno quæstu propulsant famem: nam hi mane quod incipiunt opus, hoc totum diem procedit, itaque eis laborantibus nihil ad otium superest, ad virtutem nihil deest. Possident vero ut se et familiam alant, tenuem illam sive copiam sive inopiam, quam sudore vultus sui sibi pepererunt, qui titulus possessionis omnium est æquissimus et optimus.» Addidit tamen hoc intelligi dummodo ipsi ex opere compendium uberius quam justius non fecerint. Totum hoc exemplo Christi Domini confirmabat: « Qui utriusque sapientia æterna, cum in terris statum eligeret, parentem adoptavit opificem, exercuitque operam fabri, creditus ex eo etiam faber et fabri filius.» Ita Jac. Fuligatus, in ejus vita, l. VI. c. IV.

IV. Rusticis damus Boozum. Fuit hic agricola agricolarum speculum, imprimis humanus valde erga servos et messorum suos, ad agrum egressus, eos salutabat: *Dominus vobiscum*; non ut quidam

solent tetro vultu, rugata fronte et inflatis buccis servos aspicientes, nec placibili verbo dignantes. Deinde, liberalis erga pauperes erat, invitans Rutham ad colligendas spicas in agro suo; atque ut plus colligere sine rubore posset, præcepit operariis ut de industria projicerent de manipulis suis, deditque ei licentiam accedendi ad merendam illorum. Quare meruit fieri unus de progenitoribus Christi, et ad summam pervenire senectutem (ut volunt Judæi) quatuorcentum annorum. Tales si sint agricolæ, certam a Deo expectent benedictionem.

V. Servis damus Jacobum. Hic enim viginti annis socero suo Laban pro pastore ovium fidelissime serviens: *Die noctuque æstu crebatur et gelu, fugiebatque somnus ab oculis ejus*; damna gregi illata de suo compensabat, domum ejus locupletavit; durum et iniquum dominum a quo animo tulit, Genesis XXXI. Servorum hæc pulchra dotes sunt, ut pro servanda et locupletanda domo herorum, dura quæque sustineant, eorum damna avertant, commoda procurent. Veterum consuetudo fuit, ut cum servus in domum admitteretur, herus super caput ejus spargeret nuces, poma, ficus, dactylos, legumina, nummos, Pierius, lib. LVI. et Cælius, lib. XXVI. antiq. cap. VI. Qua re indicabat servum hero ejusque domui utilem ac fructuosum esse debere, ita ut familiam suo labore sustentet ac recreet, simul vero sciat sibi foris in agro sedulo manendum, gelu et æstum sustinendum, quomodo fruges illæ sustinent omnis generis tempestates, ventos, pluvias, æstum, pruina. Unde Germanis appellantur conjugum servatores, quia ipsorum est patrem et matrem familias suo labore servare.

VI. Principibus et magistratibus damus Naasson, principem tribus Juda, ut habetur, l. part. cap. II. Princeps hic ad omne opus semper primus fuit, sive in castrorum metatione, Num. III. versu III. sive in oblatione munerum ad altare, Num. VII. versu XII. sive in profectione et processione exercitus, Num. X. versu XIV. Hoc ergo facere et magistratus debent, primi opus aggredi et exemplo suo præire subditis: sic potentissime trahent eos ad officium et virtutem. Unde enim princeps dicitur, nisi quia *primum capit locum*? Non egent imperio apes: solum rex præcedat, mox omnes eum sequentur. Agesilaus Lacedæmoniorum rex, si quid esset, quod celeriter per milites confici volebat, primus ipse sub oculis omnium opus aggrediebatur, quo vel pudore ad idem stimularentur subditi, auct. Plut. in Lacon.

VII. Subditis damus Aminadab patrem Naasson. Is, cum videret ducem exercitus, Moysen, pri-

mum ingredi divisum mare rubrum, ut scribit Josephus, libro II. antiq. cap. VII. cæteris sequi trepidantibus, ipse primus omnium ducem suum, Moysen, secutus est, uti tradunt Hebræi cum Lyrano. Bonorum hoc subditorum est, sequi ad quævis pericula, cum ratione adita, ducem vel magistratum suum. Sic enim et apes sequuntur regem suum, et grues ducem, et oves arietem pastorem,

VIII. Senes capiant Abrahamum. Hic enim, ut ait Scriptura, Genesis XXV. *Mortuus est in senectute bona, et plenus dierum; vivendo nimirum satur, ut habent Hebræi, et cupiens dissolvi. Item plenus dierum, quia dies non vacuos, sed plenos meritorum vixit, annos scilicet centum septuaginta quinque. Ergo videant senes, ut moriantur in senectute bona et sancta plenique dierum. Non desiderent vivere diutius, sed potius cum Simeone dimitti in pace, et dissolvi cum Paulo. Videant, ut cum incipiunt curvari in terram, sint velut spicae plenæ et granis prægravatæ, ad sepulcrum propendentes. Cogitent id, quod Joan. IV. Christus: *Videte regiones quia jam albæ sunt ad messem*. Videte canos vestros, quia brevi temetures: videte ergo, ut sitis ad messem parati.*

IX. Juvenes accipiant Davidem. Hic fratrem licet minimus, non solum greges patris sui sedulo custodivit, leoni et urso raptas oves eripiendo; sed etiam missus ad militiam, præ omnibus se obtulit ad singulare cum Goliatho certamen, pro populi Israelitici, cui insultarat Goliath, gloria et salute, confisus in nomine Domini: unde et in belli ducem; deinde, in regem evectus est. Discant hic juvenes non domi in gynæceo sedere, vel lepores tantum insequi aut aviculas capere, sed pro Ecclesiæ et patriæ bono, potius ad militiam pergere; et confisi, non in magicis amuletis aut armorum solis præsidiis, sed potius in nomine Domini, strenue dimicare.

X. Parentibus damus Josiam. Hic imprimis nequaquam patris sui Amon idola coluit; sed cum esset juvenulus rex, natus annos sexdecim, cepit Deum verum colere, et confringere idola patris sui, totumque regnum suum ab iis expurgare. Audierat enim ex libro legis forte repero comminationes Dei: unde perterritum est cor ejus, et scidit vestimenta sua ac flevit, ideoque a Deo audivit, non visurum semala gentis suæ, sed moriturum in pace, IV. Regum XXII. et II. Paralip. XXXIV. Ne ergo parentes malis majorum suorum vestigiis insistant, dicendo verbi gratia: *Parentes mei fuerunt acatholici, volo igitur et ego talis mori*: sed Deum potius sequantur et fidem veram amplectantur. Deinde,

Josias vocatur ignis Dei; et ut filios suos in timore Dei contineret, singulis eorum nominibus nomen Dei affixit, uti habetur, II. Paralip. XXXVI. ubi tres nominantur filii, Dei nomine insigniti: *Joachaz, qui exponitur Dominus videns; Eliacim, Deus vindicans; Matthanas, Dei donum*. Voluit nimirum pius pater, ut filii ex nomine suo crebro meminissent Deum omnia videre, omnia scelera vindicare, omnia bona dare. Sic ergo et parentes alii inculcent bene filiis suis Dei timorem, presentiam, justitiam, munificentiam, uti fecit et Tobias filio suo: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, et cave ne aliquando peccato consentias et prætermittas præcepta Domini Dei nostri*, Tobiae IV.

XI. Filiis Isaacum. Hic enim, cum ad immolandum a patre duceretur, patri obedientissimus, passus est se ligari, licet innocentissimus, poni super struem lignorum et ad gladium aptari. Quid obedientia nisi vinculum? Hoc ligari se patiantur filii, ne parentibus ullatenus resistere queant, etiam dura imperantibus: uti passus Isaac, quasi ovis esset ad victimam deputata. Cogitavit enim se vitam Deo et patri debere, a quibus vitam acceperat. Vincula hæc necessaria sunt filiis, sicut infantibus fasciæ, quibus ligantur in cunis, ne in duram humum excidant, vitæ suæ periculo.

XII. Fratribus damus Judam. Hic enim præ cæteris suis fratribus amorem germanum ostendit primo, erga Josephum, quem, ne in cisterna necaretur a fratribus, suasit extrahendum et vendendum, ut vitam ei servaret, Genes. XXXVII. Deinde, erga Benjamin, pro quo in servitutum ire voluit, ut ipsum patri restitueret, Genes. XLIV. Canis alteri coueterino cum leone pugnanti et succumbenti, obrumpens catenam, succurrit coram Cambyse Persarum rege, teste Herodoto, lib. III. et Justino: et frater non succurret fratri in necessitate constituto?

XIII. Sodalibus damus Josaphatum. Hic vir integerrimus, divino cultui deditus, et zelo ejus ardens, misit de suis principibus, ut docerent in civitatibus Juda, una cum sacerdotibus legem Dei, revocavitque ab idololatria populum; una tantum in re incautus fuit, quod societatem belli inierit cum impio Achab contra Syros. Ubi in prælio interceptus, nisi exclamasset seque prodidisset, plane periisset. Tandem ictus sapuit, et cum filio ejus Ochozia ubi primo naves junxisset ac perdidisset, II. Paralip. XX. noluit deinceps classem suam jungere. Videant sodales cum quibus societatem inean, ne simul cum ipso in laqueum incidant.

XIV. Lapsis damus Manassem, qui in idolola-

triam aliaque scelera gravissime lapsus, ita ut impleteret Jerusalem: *Sanguine innocentum usque ad os*, neque audiret monumentem Deum per prophetas; ad extremum tamen, qui verba non audiit, verbera audivit. Captus enim et catenis vincetus, ductus in Babylonem, cepit ibi delere scelera sua, et poenitentiam egit valde, per quam obtinuit, quod nullis viribus obtinere potuisset, et dimissus reduceretur in regnum suum; ubi totus immutatus, constanter Deo serviit pieque obiit, II. Paral. XXXIII.

XV. Afflictis oribus damus ponum omnium praestantissimum, Jesum Salvatorem. Pomi prae-suavi odore prorogata aliquamdiu aegrotanti Aristoteli vitam, in libro de pomo Aristotelis habetur, ut refert Caelius, libro XXIV. capite XXI. Odor solus nominis Jesu reficere aegros, et sanare, vitae aeterna donare potest: « Nomen, Jesu lymphatos sanat (inquit Origenes, libro I. contra Celsum) et demones exigit, morbis etiam praesentaneum adfert auxilium. Inserit enim miram quamdam mansuetudinem morumque honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem omnibus, qui non propter vitae curas humanasve aliquas necessitates fucate, sed ex animo amplectuntur praedicationem Dei Christique atque futuri iudicii: » et Sanctus Bernardus, sermone XV. in Cant. « Tristatur aliquis vestrum? Veniat in cor Jesus, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne si invocet nomen vitae, confestim respirabit ad vitam, etc? »

### CONCIO III.

#### DOCTRINÆ EX HODIERNO EVANGELIO.

I. Vera nobilitas in propria indole et virtute sua. — II. Malorum parentum communiter mali filii, et e contra. — III. Quandoque etiam boni parentes malos habent filios, et e contra; sed raro. — IV. Quando securus degere in humili quam in alto statu. — V. Quanta vis sit poenitentiae. — VI. Quam difficile corriganter inveterati peccatores. — VII. Qui male vivunt, male moriuntur.

#### THEMA.

*Liber generationis Jesu Christi. Matth. I.*

Non eodem modo et fructu versant libros infantes, et homines eruditi. Infantes pictas litteras solum mirantur, et delectantur imaginibus; scripturas non intelligunt, adeoque

negligunt; denique imagines, si quæ in libro sunt, inde excindunt. Hic totus eorum fructus est. At non ita litterati, qui, picturis neglectis, scripturas legunt et sensum penetrant, indeque varia sibi virtutum documenta excerptunt. Librum hodierni evangelii, si indocti aspiciant, nihil nisi imagines patriarcharum, regum, principum in eo mirabuntur, quia nihil aliud continere videtur. At vero eruditi sensum hujus libri penetrabunt, et praeclare documenta in eo reperient. Quare, posthabitis nunc imaginibus illis, librum hunc profundius inspiciamus.

I. Liber hic docet veram nobilitatem non tam in avorum et progenitorum stemmate, quam in propria indole et virtute consistere. Vide enim regem David, qualem et quantum? At is tamen ex vili parentela et proavia Ruth, paupere et gentili, progeniem suam duxit: virtute tamen sua mire nobilitatus est. Unde in eum locum Sanctus Chrysostomus, homil. III. in Matth. ait: « Non est omnino, non est nec de virtute, nec de vitio parentum aut laude aliquis dignus aut culpa: nemo inde vere aut obscurus aut clarus est: imo ut quod incredibile videtur, dicamus: Nescio quomodo magis ille resplendet, qui ex parentibus a virtute prorsus alienis, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis. Nullus igitur in superbiam de gloria parentum elevetur: sed considerans progenitores Domini, omnem reprimat mentis tumorem, et de solis virtutibus gloriatur. » Laudandi igitur, qui Taprobanem insulam incolunt, et regem eligunt, non qui nobilitate, sed qui virtute ceteris praestet, teste Solino, capite LXVI. Sanguinis nobilitas aliena virtus est, quæ majores tantum, non posteros adornat. Emit aliquis Epicteti Stoici lychnuchum fictilem trecentis denariis, sperans futurum scilicet, ut si noctu ad istam lucernam legisset, mox Epicteti sapientiam somniaret, et similis efficeretur venerando seni: at longe deceptus fuit, Lucian. adversus indoctum. Nil aliud agunt qui ex majorum insignibus magnos se fore existimant, cum ipsi parum valeant. Hujusmodi fuit, qui Anacharsi patriæ barbariem exprobrarat. Cui ille: *Mihi patria dedecori est, tu autem patriæ*, Calen. in exhortat. ad bonas artes, et Laert. Simile responsum tulit Huldicus Ciliæ comes a Joanne Hunniade regni Hungariæ gubernatore, quando ad ejus colloquium evocatus, venire noluit, dicens se alta familia natum ad hominem novum, minime debere venire. Cui Joannes: « Non tuis majoribus, sed tibi me comparo, quamquam neque illis cedam, qui pugnando pro christiana religione nobilitatus, majus lumen posteritati meæ comparavi, quam illi, qui ad te detulerunt. Atque ut in

te Ciliensis comitatus turpiter extinguitur; ita in me Bistricensis gloriose exoritur, » Æn. Sylv. lib. I. in comment. Panorm. cap. XXVIII.

II. Malorum parentum communiter malos esse filios, uti bonorum bonos. Patet hoc in plerisque hujus genealogiæ filiis. Boni plerique filii Jacob, qui optimos habuere parentes, avos et proavos, Sanctissima Deipara et Joseph, quia sanctos habuere majores. Contra malus filius Roboami, Abias: tribus tantum annis regnavit, et, *Ambulavit in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum*, III. Reg. XV. Notate hoc parentes: *In omnibus peccatis patris ambulavit* Abias. Advertit auctor operis imperfecti, hom. I. in c. I. Matth. Abiam bene sic appellatum, quod Latine sonat *pater meus veniens*, quia scilicet patrem suum Roboam in perversis moribus ita representavit, ac si alter pater suus esset: *Providentia autem Dei, inquit, sic ordinavit eum vocari: quia scilicet Roboam cepit recte, postea autem exiit peccator in Deum, sic et Abias*. Idem patet in Ochozia filio Jorami, perversi patris, et Athaliae perversioris matris, quæ erat Achabi et Jezabelis pessimum parentum pessima filia: Ochozias itaque mali corvi malum ovum: *Ingressus est per vias domus Achab: mater enim ejus (Athalia) impulit eum ut impie ageret*, II. Paralip. XXII. Sicut enim filii plerumque patrum institutum et officium sequuntur eorumque artes discunt, ita et eorumdem mores. Pastor Jacob filios omnes pastores habuit, qui etiam in ipsa Ægypto artem pecuariam exercere voluerunt. Sic Ethelredus Northumbrorum rex, impiissimus pater, septem filios genuit, qui se mutuis vulneribus conciderant: Hect. Boetius, libro II. Querit Sanctus Ambrosius, libro V. hexameron. capite XXII. cur philomela eo tantum tempore suaviter canat, dum pullos excludit et educat, respondetque: *Mihi videtur hæc summa ejus esse intentio, quo possit non minus dulcibus modulis, quam fætu corporis animare in fetus ova, quæ fovcat*. Ergo sicut pulli philomelæ audiunt præcipientem matrem, sic eam postea cantu suo imitantur.

Patet vero ex propositis exemplis, matris institutionem plus plerumque posse in filios quam patris. Uti enim Athaliae ex impia Jezabele potissimum hausit venenum, sic et Ochozias ex matre Athalia. Hinc et filia Herodiadis, impudica saltatrix fuit, quia matris adulteræ sedula imitatrix, ab ea non ad saltum modo, sed etiam ad impudicitiam probe instituta: ideo impuro Herodi tam filia placuit, quam mater, Marc. VI. Una enim cum lacte sugunt filii mores matrum, in quarum etiam sinu et blanditiis a teneris adoleseunt. Unde Ose. V. reprehenduntur Hebræi, quia

filios alienos genuerunt, ex alienigenis scilicet matribus, seu filiabus gentium, quas contra legem, Exod. XXXIV. et Deuter. VII. duxerunt: quæ proinde filios suos perverterunt, et ad idolorum cultum pertraxerunt; sicut illæ, quæ in Babylone ab Hebræis ductæ, docuerunt liberos suos loqui Azotice; quia plus poterant in filios instituendos, quam patres, a quibus illi nihil Hebraice loqui didicerunt, II. Esdr. XIII.

III. Quandoque etiam contingere, tametsi rarius, ut bonorum parentum mali sint filii, et malorum boni. Ecce enim David, pater sane optimus, filios habuit malos: incestuosum Amnon, fratricidam et rebellem sibi Absalon, Adoniam ambitiosum, Salomozem in senio perversum. Rursum Josaphat, pater religione præstans et zelo Dei insignis, impium habuit filium Joram, qui, ut dixi, impiam Achabi regis filiam duxit, Athalia; cujus idola coluit, et ad illa populum pertraxit. Josias quoque sanctus rex, qui in omni corde suo adhesit Deo, ut non esset ei similis; tres tamen reprobos habuit filios, Joachaz, Joachim et Sedeciam. Denique, Ezechias optimus pater, filium impiissimum Manassen, qui tamen ad finem resipuit. Plura alibi exempla reperimus in Scripturis, uti filios Heli et Samuelis, bonarum arborum mala germina: Abimelech importunissimum filium Gedeonis, præstantissimi herois. Quod sane mirum est, non secus atque illud, quod scribit Ælianus, libro X. c. XXXVIII. Lusiam fluvium, cum pellucidis manet liquoribus, pisces nigerrimos procreare. Causa ejus rei plures adfert Nic. Serarius, in c. VI. Judic. quæst. XXXV. Potissimæ sunt, nota vel occulta quædam parentum peccata, quæ in filiis plectuntur: neglecta filiorum institutio ob parentum occupationes, quod utrumque in Davide locum habet: acriores talium filiorum impetus, etc. Vicissim mali patris Abiæ filius bonus fuit Asa, qui: *Fecit rectum ante conspectum Dei, sicut David pater*, hoc est, abavus ejus, III. Reg. XV. Ozia superbi et sacrilegi regis, bonus filius erat Joatham, II. Par. XXVII. qui tamen filium Achaz habuit dissimilem, cap. XXVIII. ex quo impio Achaz rursus filius bonus, Ezechias, velut rosa e spina. Amon improbus probum habuit filium Josiam, omnibus laudibus celebrem, IV. Reg. XXII. Quod majus adhuc priore miraculum est, cum ad imitandum malum longe prouiores simus, quam ad bonum. Unde Num. VI. de filiis Core dicitur: *Factum est grande miraculum, ut, Core pereunte, filii ejus non perirent*. Quomodo id factum sit, glossa Hebræa in Psalm. XLV. ut Lyranus refert, explicat: terram videlicet aperuisse a suum, et Coren cum suis devorasse; filios autem ejus su-

blimes in aere perstitisse, quousque terra subsidit. Fecit autem Deus grande hoc miraculum, quia grandi etiam miraculo simile erat, quod filii Core patrem, Deo et Moysi rebellem, in rebellionem non sint imitati, ob quam causam ipsi ab interitu servati sunt. Quare in gratiarum actionem Psalm. XLV. scriptus est, eo titulo: *In finem filii Core pro arcanis.*

IV. Quando securus sit degere in humili statu, quam in alio. Videmus enim Christi progenitores, quamdiu privatam et humilem egerunt vitam ab Abraham usque ad Davidem, (quo tempore pastores et agricolae fuerunt) pene omnes bene et inculpate vixisse; quemadmodum et illos, qui post captivitatem Babylonicam iterum in ordinem redacti, et ad privatam pauperemque vitam devoluti sunt: contra vero eos, qui a tempore David usque ad captivitatem in regia dignitate floruerunt, plerosque in gravissima peccata lapsos, plures omnino perversos esse, vix unum aut alterum vitam absque novo peregrino. Inter illos David, cum adhuc privatus degeret, innocens et rectus fuit; ubi ad regnum evehctus est, gravissime impedit; quemadmodum et antecessor ejus Saul; qui: *Filius unius anni erat, cum regnare cepisset*, I. Reg. XIII. hoc est, tam integris et candidis moribus, quasi filius unius anni esset: secundo regni anno jam graviter lapsus, divino iudicio exauctoratus est, deinceps vero semper in pejus vergens, peccata peccatis addidit. Quemadmodum ergo in tempestate periculosa est navigatio, secunda in tranquillitate; ita in publicis muneribus plurima sunt salutis pericula, perturbationes plurimae; paucae in privata et humili vita. Unde S. Gregorius, I. p. past. c. IX. ait: *Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis? Quanto securius est in humili ambulare, quam in tecto et loco edito! Tectum in templo Salomonis, aureis, sed acutissimis verubus, quibus aves involantes facillime laedebantur, erat horridum, teste Josepho, VI. de bello, cap. VI. Sic horrent dignitates cuspidibus et verubus, tametsi aureis et argenteis. Quam facile vulneratur qui in hoc tectum involare eique insidere vult! Secure se in terra volutabat ille juvenis, ex consilio senis (apud S. Hieron. in reg. monach. cap. XV, periculose vero supra mensam: quo edoctus fuit, ne susciperet episcopatum. Qui postea defunctus seni gratias egit, dicens: *Quia nunc essem de numero damnatorum, si fuisset de numero episcoporum.* Simile responsum dedit quidam Carthusianus, ad pontificatum postulatus: qui post mortem dixit, se damnandum fuisse, si pontificatum acceptasset, in hist. Carthus. Petri Dorlandi, lib. IV.*

V. Quanta vis sit poenitentiae. Ecce David lapsus in adulterium et homicidium, postquam ea peccata seria poenitentia et lacrymis delevit, assumitur in progenitorem Christi, et quidem per Salomonem ex eadem Bethsabaea, cum qua prius adulterium commiserat, sibi natum: quem et regni sui haerem sapientissimum et potentissimum obtinuit: tametsi alios filios haberet, ex aliis natos uxoribus, nulla simili labe contaminatis. Quid hoc rei? Nonne nostro iudicio praefrendi videbantur isti eorumque matres, Salomoni et matri ejus? At non ita placuit Deo, ut demonstret nobis, quantum ipsi placeat et valeat vera et seria poenitentia, quae peccatorem adeo in integrum restituit, ac si is nihil mali patrasset: quandoque etiam pluribus bonis dicitur. Vide etiam Mannassen; qui cum egisset vitam omni scelere contaminatam, adorando omnem caeli militiam, seu astra, traducendo filios suos per ignem, sectando maleficos, seducendo populum, sanguine innoxio replendo Jerusalem usque ad os, IV. Reg. XXI. et II. Par. XXXIII. tandem captus a rege Assyriorum et vincit catenis, ductus in Babylonem, ibi demum aperuit oculos inter angustias: *Egitque poenitentiam, deprecatusque est ad Dominum, et obsecravit intente, et ecce Deus: Exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum.* Quod igitur nullo quantumvis numero exercitu obtinere potuisset, hoc poenitentiae beneficio obtinuit, ut e vinculis ereptus, restitueretur regno suo. Parem efficaciam habuit poenitentia illorum latronum, qui socios S. Adalberti, religiosos quinque, in suo tugurio occiderunt; ideoque a Boleslao rege capti, et ad illorum sepulcrum catenis alligati fuerunt, ut ibi fame interirent. Ubi enim per poenitentiam ad Deum confugerunt, divino miraculi soluti vinculis fuerunt, Cromer. lib. III.

VI. Quam difficile corrigantur inveterati peccatores. Discimus hoc primo, ex Joram rege, qui, ducta, ut supra diximus, Achabi regis filia, ambulavit in viis impii Achab, et occidit sex fratres suos. Porro Deus immisit illi varia flagella: primo, Philisthaeos et Arabes, qui diriperunt omnem ejus substantiam, cum aliis et uxoribus, etc. *Et super haec omnia percussit Joram Dominus alvi languore insanabili, ita ut egeret viscera sua per biennium: nec tamen is resipuit.* Denique, allatae sunt ei litterae comminatoriae scriptae ab Elia, jam tum defuncto, quibus ejus peccata re-darguta et supplicia praedicta erant. Verum neque litterae illae apud obstinatum hominem quidquam effecerunt, II. Par. XXI.

Secundo, ex rege Achaz, qui et ipse ambulavit in viis regum Israel, idololatria scilicet, ideoque multis et ipse flagellis a Deo confusus est a rege

Syriae Razin, a rege decem tribuum, Phacee; qui occidit illi uno die centum viginti millia bellatorum, captis ducentum millia de populo. Nihil tamen haec apud illum potuerunt, II. Par. XXVIII. Sed dum verberaretur, crimina augebat: *Insuper et tempore angustiae suae auxit contemptum in Dominum: januas quoque templi clausit, ipsisque hostium suorum diis caecus plane immolavit: denique, signum victoriae sibi danda petere jussus ab Isaia, petere noluit, Isa. VII. Sic nimirum obstinati, cum semel obfirmant animum, nullis amplius commoventur flagellis, imo nec miraculis, uti etiam natuit in Radbodo Frisonum duce, qui duobus grandibus miraculis, quibus puer unus strangulatus per duas horas incolumis servatus precibus Wulfranni: alii duo inter fluctus maris intacti ab aqua undique circumfluente fuerunt: commotus quidem, non tamen permotus fuit, ut baptismum susciperet, in vita S. Wulfranni 20. martii. Hi nimirum sunt, qui dicuntur: *Venumdati sub peccato, ut faciant malum, qualis Achab, III. Reg. XXI. quasi libertatem et servitatem suam demoni transcriperint, adeo ut non sit eis integrum reverti ad Deum.**

VII. Qui male vivunt, male etiam mori, et saepe etiam cum ignominia sepeliri. Quod inter alios contigit imprimis obstinato illi, quem diximus Joram, qui regnavit annis octo, ambulavitque non recte, II. Par. XXI. Ubi Septuaginta legunt: *Mortuus est sine laude; alvi dolore et diuturna tate, egerendo viscera sua, ut supra dixi; Pagninus vertit: *Ambulavit absque desiderio, scilicet populi, quasi diceret: Nemo seu in vita, seu post mortem ejus desideravit ipsum, dicendo, v. g. Utinam vivat, vel utinam resurgat Joram rex noster! Potius ergo de ipsius interitu omnes gavisi sunt. Unde: *Non fecit ei populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus. Et sepelierunt eum in civitate David: verumtamen non in sepulcro regum, II. Par. XXI.* In exequiis aliorum regum regum regum varia aromata, ungebantur eorum corpora, sepeliebantur in sepulcro regum perhonorifico. Nihil tale actum Joram; quia sicut vixit absque laude, sic et mortuus et sepultus est. Contigit et Jechoniae, dicto Joachim, filio degeneri (pater enim ejus Josias, lecto libro legis, scidit vestimenta et fudit lacrymas; filius autem Jechonias librum Jeremiae sibi allatum scidit cultello et projecit in ignem). Ductus hic ob peccata sua anno tertio regni in Babylonem captivus, indeque dimissus, rursus rebellavit Nabuchodonosori; qui proinde reversus, eum occidit, et insepultum abjici jussit, ut praedixerat ei Jeremias, cap. XXII. cujus prophetias spreverat et combusserat; in quibus haec in-**

ter alia: *Sepultura asini sepelietur putrefactus, et projectus extra portas Jerusalem.* En quam verum illud Sapient. III. *Nationis iniquae dirae sunt consummationes! Quale corpus talis umbra, et qualis umbra tale corpus: umbra asini representat asinum, hominis hominem.* Quid vero umbra mortis, nisi vita peccatoris? Vivis ut asinus, morieris et sepelieris ut asinus: vivis ut homo, morieris et sepelieris ut homo: *Vita in deliciis agens, ait Bernardus, serm. XLVIII. in Cant. et mors est et umbra mortis.*

E contra vero mortem piorum et sanctorum pretiosam et honorificam esse ostendit, inter paucos Josias laudatissima vixit rex; qui cum in praelio occubisset, ab universo populo magna lamentatione deploratus est, deque eo scripsit Ecclesiasticus, c. XLIX. *Memoria Josiae in compositione odoris facta, opus pigmentarii, in omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini.* Similem laudem obtinuit Ezechias et David rex, Abraham, Isaac, Jacob alii, quae quotquot sanctitati studuerunt; quorum nomina adhuc vivunt et videntur in terra, virebuntque in caelo per omnem aeternitatem.

## CONCIO IV.

IGNIS HOC DIE SUPRA AEDEM LAURETANAM DE COELO LAPSUS QUID SIBI VOLUERIT.

- I. Publicum Ecclesiae gaudium, hodie allatum. — II. Protectionem Deiparae singularem erga suos cultores. — III. Acceptum esse Deo cultum B. Virginis. — IV. Cultum Deiparae signum esse electorum.

## THEMA.

*Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie.* Prov. VIII.

Horatius Tursellinus, I. I. hist. domus Lauret. c. XVII. refert paulo postquam aedes Lauretanae silva Lauretana in vicinum sillem delata fuit, vidisse quemdam vicinum solitarium, Paulum nomine, abstinentiae et sanctimoniae venerabilem, in nocte navitatis Deiparae, quarta circiter vigilia, copiosum ignem, quasi ingentem cometam, de caelo super aedem Lauretanam delapsum, eam totam illustrasse, nec ita multo post sublimem, unde venerat, se recepisse. Quod cum pluribus annis factum videret, tandem post multas preces caelitus per quietem didicit, natalem Deiparae diem igne illo condecorari, quod vellet ipsa a Christianis omnibus eum diem ibi solemniter celebrari. Quod et Recinetenses vicini ex eo tempo-